

*GTH.* EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

11-73.

SIGNAT. 1515 CCCXIII.





14

AD  
SYLLOGISMUM  
IN  
**FORMA RESPON-**  
**DENDI NECESSITAS**

Indultu benevolo  
*INCLYTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ*  
In Academia Lipsiensi

*d. XX. Febr. Anno M. D C C V I.*  
*ad examen revocata*

PRÆSIDE  
**M. HERM. JOACHIMO**  
*Gahn/*

Grabov. Mecklenb. SS. Th. Cand,  
Et

RESPONDENTE  
**PETRO ARNOLDO MERINGIO,**  
Tremonia Vestphalo.  
Philos. & SS. Theol. Cult.

---

LIPSIAE,  
Literis BRANDENBURGERIANIS.



VIRIS  
SUMME PLURIMUM QVE REVERENDIS,  
Erudita pietate atq; Theologica prudentia, fidelique  
Verbi divini Ministerio longe celeberrimis,

D O M I N O  
**ULR. ERNESTO**  
 *Scimann/*

Serenissimi Duci Regentis Meckleuburgici Consiliario  
Ecclesiastico longe meritissimo, Superintendenti Dioeceseos  
Sverinensis atque Parcumentis laboriosissimo,

Avunculo atq; Patrono suo optimo,

ut &

D O M I N O  
**JULIOERNESTO**  
 *Hahn/*

Serenissimi quoq; Duci Regentis Mecklenburgici, Friderici Wilhelmi, Concionatori aulico, ejusdemq; Confessionario vigilantissimo,

Parenti suo charissimo, atq; filiali observantia ad cineres  
usq; de venerando,

Nec

Nec non  
**D O M I N O**

**M A R T.** Schumann/

Pastori Templi Cathedralis Sverinensis fidelissimo

**D O M I N O**

**G E O R G.** Westphal/

Ad Templum Cathedrale Sverinense Verbi Divini Mi-  
nistro itidem meritissimo,

Fautoribus suis ingenuis,

& tandem

**D O M I N O**

**J U L I O E R N E S T O**

Hahn/

Pastori Parcumentis Templi Georgiani vigi-  
lantissimo,

*FRATRI* suo mellitissimo,

Hacce Magisteriales primitias

*Dicat ergo consecrat*

*A U T O R*

M. HERM. JOACHIM Hahn.



*O S, VIRI SUMME PLURIMUM Q VE  
REVERENDI, tanquam Paterno atque Fra-  
terno amore conjunctissimi versibus nonnullis  
gratulatoriis publice licet è longinquo Magi-  
strialem meam promotionem ornatiss; tan-  
quam publicum itaque gratitudinis meæ speci-  
men hanc primitiarum Magistrialium dedicationem benevolu-  
quo! mente accipiatis. Juxta aureum B. D. Reinhardi Ba-  
ckii Commentarium in Psalmos, & in specie in Psalm. CV. vers.  
4. B. Lutherus noster verba Davidica Psalm. XXVII. v. 8. occur-  
rentia: Faciem meam, dixisti, requirite, ego faciem tuam,  
Domine, requiro, illam igitur non avertes, vocavit Syllogis-  
mum suum aureum. Major Propositio omni auro pretiosior  
hec est: Q. faciem Dei querit, abs eo Deus istam non avertet.  
In Minore subsumit David: Et ego faciem Domini quero. Er-  
go exinde conclusionem format: A me Dominus faciem suam  
non avertet. O aureum & cuncto auro cariorem Syllogismum!  
Hic omnibus scitu est summe necessarius, precipue vero fidelibus  
Verbi divini Ministeris. Hi ad illam a Spiritu S. ostensam for-  
mam omnia diabolica Sophismata reducere & quam felicissime  
ad eadem respondere possunt. Pectori itaque vestro digitus Dei,  
Spiritus S., hunc aureum Syllogismum inscribat, quo in omnibus  
vestris afflictionibus hoc divino robore gaudens argumentum a-*

nimum vestrum depresso erigere possit: Faciem Domini querimus. Ergo eam a nobis minime avertet. Complebit potius promissum, Ministeris suis his verbis datum: Querite, & inuenientis, regate & vobis dabitur. Devotum hocce votum, ut gratia mentis indicium VOS. VIRI SUMME PLURIMUM QVE REVERENDI, non contemnetis. Apud Manlium in Locis Communibus legitur, quod Filius ex Academia redux apposuit is in cœna tribus ovis Patri voluerit ostentare ingenium hac argutia:

Unum, duo & tria sunt sex.

Tria ista ova sunt unum, duo & tria.

& Tria ista ova sunt sex.

Pater vero festive cludens nasutulum dixit: Ego duo ova & mater unum comedemus; reliquaria tibi preparata sunt. Sed ego vobis in Alma bac Philyrea studiorum meorum levidense specimen exhibens, non ejusmodi tricas, sed potius earundem extiricationem atque remotionem offero; insimul ardentissimas meas preces ad unum & tres ad trinum scilicet Deum dirigen, velit vos & sex calamitatibus juxta clementissimam suam præmissionem eripere, atque nullatenus concedere, ut in septima hereatis & pereatis. TIBI, PARENTES VENERANDE, præcipue sumatque manbo obstrictus, quod me non tantum arenaria etate sacris studiis sancte consecrari, sed & optimam meam intentionem summis necessariis, consiliis saluberrimis, atque precibus ardentissimis optime promoveris. Summo cum gaudio de Valerio Herbergero legi, quod Pater ipsius hunc suum Filiolum primum ad aram deinde in scholam duxerit, & quod hic ejus Filius utilitatem paterna devotionis copiose in se-redundantem ita persenserit, ut ipse in sua Postilla Evangelica D. I. p. Epiph. hoc recensens letabundus addiderit: Schet! ihr lieben armen Leute! was kan ein gläubiges Gebeth frommer Eltern für grosse Wunder thun? Quid enim Tuis de-

vo-




votis precibus, quas pro me in nomine Jesu ad Deum indefess-  
se fundis, aliud intendis, imo alii efficiis, quam ut me coram  
lato totius mundi altari sistas & exinde divinam studiis meis  
benedictionem concilies! Mirabiles sane effectus Paternarum  
precum diu cognovi, & abduc experior. Me itaque ulterius,  
TU, VENERANDE PARENTS, VOSQUE, VIRI SUMME  
PLURIMUMQUE REVERENDI, vestro favori, Vestrisq; pre-  
cibus commendatum habeatis, quo omnia mea dicta, facta &  
fata vestro omniatque voto respondeant. Nullo non tempore  
permaneo.

VIRI SUMME PLURIMUMQUE  
REVERENDI,

Vestrorum Nominum

Ingenius atq; indefessus Culsor

M. HERM. JOACHIMUS Hahn/  
SS. Theol. Cand.



## PRÆFAMEN,

**P**hilostratus in vita Apollonii Tyanei ostensurus, quomodo hic primum Euxeni, Præceptoris sui arbitrio actus fuerit, postmodum tamen caput super illum longe extulerit, Lib. I, Cap. V. hæc altam mentem sp̄rantia verba nobis reliquit: *Pythagoræ sententias ita* (Euxenus, Apollonii junioris Præceptor) *noverat*, sicut aves ea, que ab hominibus edocentur. *Salve enim, & bene tibi succedat,* & Propitius tibi sit Jupiter, aliasque bujusmodi formulas aves precantur, neque, quid dicant, gnarae, neq; bene hominibus cipientes, sed lingua certo modo componere edocta. Sicut autem aquilarum pulli longe discidunt, ubi ad volatum ab iis exercentur, postquam autem seipso attollerere possunt, ipsos etiam Parentes supervolant, præsertim quando gulosos sentiunt, ac nidoris gratia terra affixos. Sic Apollonius quoque puer adhuc Euxeno adhærebat atque ipsius agebatur arbitrio, dicto ipse audiens, cum vero ad sextum decimum pervenisset annum, ad Pythagoræ vitam impetu quodam ruit, alas ei ad id numine quodam faciente. Ita hæc recensemus e versione Excellentissimi Dn. L. Gottfr. OLEARII, Patroni atq; Præceptoris nostri singulariter amandi, cui quoque in noviter edendis Philostratorum Operibus uti & in aliis perutilibus laboribus felices successus appreciamur. Hæc autem, quæ e Philostrato ita adduxi, hodienum ad permultos quoque applicari posse, qui ad eminentiorem in Philosophia gradum ascenderunt, quis non videt? Aristotelis sententias plerumque Præceptores teneræ ætati inculcant, illas

illas vero ut maxim e intricatas sola fere memoria quamvis  
difficulter tenent, donec rebus antea memoriae impressis ex-  
actum admovent judicium, Parentesque suos nimium secta-  
rios multum superant. Et hoc quidem illis quam lubentissi-  
me quivis concedet, si modo in eo quoque Apollonio es-  
sent similes, ut erga Præceptores suos meliora quoque non  
edoctos mites atque misericordes sese præberent. De A-  
pollonio enim Philostratus loc. cit. pergit : *Veruntamen mi-  
nime Euxenum amare desit, sed cum a Patre suburbanum obti-  
nuisset, ubi horti amanissimi erant, & fontes, tu, inquiebat,  
tuismoribus vive, ego Pythagoricis vivam.* Hac in re ab illo  
plane ii discedunt, qui, ac si Præceptorum suorum honori-  
ficam memoriam penitus de posuerint, placita ipsorum ut  
pote nullatenus sibi placentia non tantum rejiciunt, sed &  
convitiis ferme proclindunt. Numne & hic leges pietatis  
transgressus fuerit VIR, alias judicij acumine pollens, Domi-  
nus Joachimus Langius, Verbi Divini Minister Berolinens-  
is, de hoc alii judicium ferant. In gratiam eorum, qui per  
solidam eruditionem ad veram sapientiam contendunt, edi-  
dit is *Medicinam mentis*, qua præpostera philosophandi Me-  
thodo ostensa atque rejecta, secundum senioris Philosophiæ  
principia ægræ mentis sanatio ac sanata rectus Uſus perspicue  
traditur. Accessit Appendix de *Necessariis & Supervacuis*.  
*Necessarium* enim esse duxit, ad commendandam suam Philo-  
sophiæ reformationem in Appendix parte priori Erasmi Ro-  
terodami Paraclesin ad Christianæ Philosophiæ studium, Ge-  
orgii Mackenzei Dissertationem de humanae ratiocinationis  
imbecillitate, & Excerpta tandem e Johannis Combachii O-  
ratione de Philosophia impuritate Lectori suo ob oculos po-  
nere. Ad *supervacua* doctrinam Syllogisticam & Ontologi-  
cam retulit, innuens cognitionem Logieæ atque Metaphyli-  
cæ vulgaris. Ita enim in præfatione mentem suam explicat :

Utraque (Logicæ ac Metaphysicæ vulgaris cognitio) sicut supervacua, aut minus necessaria, sed tamen ab extantioribus inceptiis purgata, traderetur, esset tolerabilis. Verum sicut in eo censuram meretur, quod vulgarem Logicam & Metaphysicam licet suo modo emendatas atque purgatas tamen ad supervacua & minus necessaria retulerit, ita etiam savitatis cum comitate atque modestia conjunctæ & non immerito abs eo lib. cit. P. IV. §. 9. & 10. in communicatione Veri requisitæ oblitus, nimis rigidus in Logicæ vulgaris asseclas fuit, non modo omnia fere cunctis Regulis annexa exempla ad contemtum istius Logicæ dirigens, sed & hujusmodi aculeati sermonis amaros flosculos hinc inde inspergens: Utinam Logici tandem agnoscerent ineptias suas! Ego sane, quod bona fide testor, in unorustico nonnunquam plus deprehendi sapientiæ quam in omnibus, quotquot vidi aut legi, Logicis. p. 678. dialecticus, omnia Aristotelis excrements sublegens est *yνοτας* Peripateticus. p. 684. O. Aristotelicus ineptit. Ergo & Titius, Sempronius, Julius p. 685. Imo pag. 696. in coacervatione plurium Propositionum Logicarum, quam Soritem vocant, acerbæ ejus voces contra Logicam Aristoteleam in hujusmodi Sorite sunt coacervatae:

Diabolus decepit Protoplastos.

Deceptri Protoplasti amiserunt Sapientiam.

Amissam Sapientiam infecuta est Stultitia.

Stultitiam incravat Sophistica.

Sophistica est Philosophia spuria.

Philosophia spuria præcipue consistit in Dialectica & Metaphysica Aristotelico-Scholastica.

Ergo Diabolus est causa, sed tamen remota, Dialectica & Metaphysica Aristotelico-Scholastica.

Sane Aristoteles in sua Logica Sophisticam non ita docuit, ut remedia atque responsiones contra argumenta Sophistica omni-

miserit. Et quanquam hæc omnia adhuc accuratius possint proponi, non tamen exinde stultitia Aristotelis, sed potius vis ingenii in ipso coagmentata conspici potest, dum præalii specimina subtilissimi judicij hoc ipso edidit. Utinam modo Protoplasti Diabolicam fallaciam non Causæ ut Causæ evitassent, sicuti eam facillime detegere atque evitare poterant. Quæ etiam accurata circa hanc materiam erat ~~enarratio~~, Magnifici Dn. D. Joh. CYPRIANI, jam Decani nostri spectatissimi, Patroni atque Promotoris Venerandi, cum mihi ex instructissima sua Bibliotheca hunc librum ad probandum & examinandum porrigeret. Aliam tamen puto adhuc esse rationem Scholasticorum, de quibus facilius largior, quod Diabolus eos a perispicio Dei verbo ad tricosas super Aristotelem commentationes seduxerit. Quare Excellentissimus Dn. L. JOHANNES Gümther / Patronus atque Praeceptor meus summe devenerandus, in Collegio suo Theol. Thetico-Antithetico MSC. eos recte cum balænis ejusmodi comparavit, quæ totam S. Petri naviculam subvertere valuerint, si modo judicij sui acumen ad expositionem S. Codicis & dijudicationem dogmatum fidei applicassent, & nisi Diabolus ad obtundendam ingenii aciem illos ad res tantarum tricarum plenas seduxisset, more nautarum, qui Balænis furibundis istiusmodi orcas objiciunt, quibus in aqua ludant, atque furoris in navem alias effundendi obliviscantur. Ambabus igitur quoque concedo VIRO, laude sua non privando, quod multa imo fere pleraque in vulgari ipsius Logica & Metaphysica ad supervacanea & minus necessaria sint referenda. Possemid e Logica præsertim pluribus argumentis demonstrare, nisi chartæ atq; temporis maxime angustia id prohiberet. Alii itaque loco ac tempori prolixiorem hujus materiae tractationem reservans, specimen aliquod brevissimum in hæc Dissertatione tantum circa responsonem ad Syllogi-

mam in forma ( prout loqui consueverunt ) sum editurus. Fas-  
xit modo Numen clementissimum, ut eventus ad rem no-  
stram in optima forma respondeat.

S. I.

**C**ur in endatione Verborum Titulo dissertationis com-  
prehensorum pluribus Verbis commorarer, nullam fere  
video causam; quædam tameu de iis pro tulisse juvabit.  
Vox *Syllogismus* Græca est, vi vocis nil aliud, quam collectionem  
innuens. Juxta communem' sententiam Logica hanc denominationem  
ab Arithmeticis est mutuata. Sicuti scilicet hi in Ad-  
ditione solent ex certis numeris antea seorsim positis certam  
numerorum summam colligere, ita etiam Logici certo termino  
rum vel Enunciationum numero seorsim posito summam qua-  
si exinde contrahunt, quæ vocatur Conclusio. Accurate ita-  
que *Syllogismus* poterit definiri: *Est oratio, e certa aut probabile ratio-  
tione certam aut probabilem sequelam connectens, ad confirmandam  
veritatem.* Et hæc quoque optime conciliari potest cum de-  
finitione Aristotelica, juxta quam Syllogismus est *Oratio, in qua  
positis quibusdam aliud quidam ab his, que posita sunt, sequitur ex ne-  
cessitate, eo quod hec sunt.* Nam & in definitione nostra certa at-  
que probabilis ratio e terminis vel propositionibus quibusdam  
positis constat, atque ab his, quæ posita sunt, sequitur aliud quip-  
piam, nempe certa aut probabilis sequela, idque ideo, eo quod ra-  
tio illa antea posita est. Adeoque facilius nostra definitio cum  
Aristotelica conformari poterit, quam quidem cum communia  
ista ad illustrationem obscuræ definitionis Aristotelica addita de-  
finitione, a Scapula quoque sub voce Συλλογισμός adducta: *Est  
oratio, in qua positis duabus Propositionibus, & certo modo atque figura  
dispositis, tertium aliquid (nimirum conclusio) relati summa collin-  
gitur, proprie ea, que posita sunt.* In hac enim ad Syllogismum ex-  
presse duas Propositiones, Major scil. & Minor, ante Conclusio-  
nem positæ requiruntur, quod tamen non semper necessarium  
esse duco, quia etiam ex una propositione præmissa potest cer-  
ta sequela connecti, v.g. O. peccatum est fugiendum. Ergo &  
superbia.

S. II. Di-

§. II.

Dicitur hic modus argumentandi alias *Euthymema*, & ad formas argumentandi imperfectas resertur. Hornejus in Compendio Dialectices pag. 181. de eo ita differit : *Euthymema imperfectus tantum Syllogismus est, nec peculiarem formam habet, sed vi Syllogismi concludit, in quem supplerat propositione, qua deest, reducitur. Sic quare superbia fugienda sit, non constat, si id tantum dicas peccata esse fugienda, nec vel addas, vel subintelligas, etiam illam peccatum esse. Similiter non sufficit, dicere, eam esse fugiendam, quia peccatum sit, nisi id quoque vel expresse vel tacite supponas, omne peccatum fugientium esse.* Verum sicut in eo Hornejus incaute processit, quod dilemma etiam inter Syllogismos imperfectos posuerit, cum juxta propriam ejus definitionem sit Syllogismus disjunctivus, hisque Syllogismis perfectis adjungatur, ( quare etiam Excellentissimus DN. JOH. Gottl. Hardt / Patronus atqne Praeceptor meus colendissimus in Colleg. suo Logico dilemma ad Syllogismos compositos ab irregularibus sive imperfectis distinctos retulit ) ita quoque non poterit inde probare, quod Enthymema sit Syllogismus imperfectus, quia non habet peculiarem formam certa figura atque certis modis ( quales ipse intendit ) constantem. Sufficit enim quod ei maxime competit forma Syllogismi essentiae, in connexione mediis termini cum conclusione consistens Hinc etiam Scholastici de isto argumentandi modo concedere debuerunt, eum certa ratione esse perfectissimum; dixerunt, *καὶ ἔχειν* eum non esse perfectum, sed *καὶ ἔστω* eum omnibus aliis esse perfectiorum. Nec obstat, quod alia semper propositio adhuc subintelligatur. Nam si propterea Syllogismus quidam evaderet imperfectus, tunc etiam Syllogismos juxta ipsius opinionem perfectissimos possem jure imperfectionis arguere. V. g. Eset Syllogismus perfectus : O peccatum est fugiendum. O. superbia est peccatum. Ergo O. superbia est fugienda; competet enim ei peculiaris forma, eset in prima figura atque in modo BARBARA. Sed tamen etiam in hoc Syllogismo subintelligitur aliqua propositio v. g. Non constat, omne peccatum esse fugiendum, nisi jam subintelligatur illa Propositio : Quicquid fana re. Atque ratio atque verbum Dei testantur & confirmant, illud est

afferendum. Neque valet exceptio, illud jam tanquam certum  
præsupponi; simili enim modo tanquam certum præsuppositum  
in Euthymemate ab Hornejo allato possum assurere, superbi-  
am esse peccatum. Et sicuti in his Syllogismis haec atque similes  
subintellecta Propositiones ad Pro-Syllogismos pertinent, ita  
etiam eō in Euthymematibus sunt referenda. B. Stahlus in Tabb.  
suis Metaphysicis de essentialiter perfecto agens, exempli loco ad-  
dit: *Sic omnium figurarum Syllogismi dicuntur perfecti, Euthyme-  
ma autem non perfectus, sed imperfectus Syllogismus est, quia  
ad essentiam Syllogismi requiruntur duo præmissæ, at Euthy-  
mema altera præmissarum deficitur.* Quasi vero ad essentiam  
Syllogismi tres præmissæ requirantur. Oppono hic Stahlus  
Hornejum, qui in Compend. dialect. p. 118. scribit: *Partes Syl-  
logismi INTEGRACES (nam ipsa forma & materia partes ESSENTI-  
ALES sunt) aliæ sunt propinquæ, aliæ remotaæ. Propinquæ sunt Proposi-  
tiones seu Enunciationes, remotaæ termini. Quanquam & ab hoc dis-  
sentiantur, dum addit: Enunciationes ad Syllogismum omnem requirun-  
tur tres: duo nempe præmissæ & tercia, Conclusio. Conclusionem  
firmam ex una solida ratione adeoque & ex una præmissa pro-  
positione formare, quid quæso! prohibebit? Ipse B. Cornelius  
Martini, rigidus alias formæ Syllogisticæ defensor in Analytic. Log.  
p. 95. tandem fatetur: *Nec tamen, quando bat dico (semper for-  
maliter disputandum esse) ita intelligi velim, quasi omnes omnino  
Syllogismi omnibus suis partibus actu formari debeant, ut & Major &  
Minor & Conclusio discrete exprimantur. Non est hoc necessarium apud di-  
sputatores candidos. Si enim Euthymema ita se habeat, ut in Syllo-  
gismum bonum & constantem leviter transmutari possit, morositas quedam  
& importunitas non sit exigua, quasi a puerō omnes etiam syllabas exi-  
gere. Imo l.c. p. 183. scribit: Nihil est probatio questionis aliud,  
quam Syllogismus, nisi enim omnem rationem & ratiocinatio-  
nem ejusdam, facere debemus id ita esse. E quibus proinde ver-  
bis recte B. Meisnerus in Quæst. vexatis Qv. I. §. 15. sequi judicat,  
Euthymema esse virum & perfectum Syllogismum.* Hinc quo-  
que Autor Art. cogit. P. III. C. 13. fatetur, hanc Methodum per  
Euthymema quoddam ratiocinandi communissimam esse & præter-  
rem neque esse opinandum, nihil ponderis in esse argumentis, cum tri-  
bus*

bus Propositionibus non constant, eo, quo in Scholis solet, ordine dispositis.  
Tales Syllogismos esse & usitatisimos & maxime naturales, eaque prae-  
gativa gaudere, quod quo a Scholarum genio alienores, eo sunt ceteris  
mortalibus acceptiores. Quod etiam statim ab init. Cap. XIV. repetit.

S. III.

Vera itaque Syllogismi natura brevissimis ostensa, jam erit  
perspiciendum, quidnam per Syllogismi formam materia contradi-  
stinctam Logici communiter sere intellectum velint. Non enim  
hic de forma Syllogistica ex mea sententia agam, quippe quæ  
plane coincidit cum mente Excellentissimi Dn. D. Gottl. Ger-  
hardi TITHI, Fautoris nostri plurimum colendi, quam in Arte co-  
gitandi Cap. X. §. 1. hac de re nobis sequentibus verbis expo-  
suit: *Sic igitur omnium Syllogismorum formalis ratio in genuina mediis  
termini & predicati ac subjecti Conclusionis collatione conficitur;* quam-  
quam non deprehenderim, quod Vir Excellentissimus in antece-  
denti Cap. IX, de hac Syllogismi forma ex instituo egerit, atque  
sic perutilibus suis promissis steterit. Sed sufficiat iam breviter  
annotasse, quidnam Peripateticorum Logica de materia atque  
forma Syllogismi tradere consueverit. Audiamus B. Fridemannum  
Bechmannum, qui in Institutionibus suis Logicis *ex Aristotele* e-  
jusque optimis tum Græcis tum Latinis Interpp. concinnatis p.  
397. ad 402. ita de hisce differit: *In Syllogismo consideranda sunt  
duo: Alterum est materia, ex qua constat, alterum vero forma. Mater-  
ia, ex qua constat Syllogismus est vel remota, vel proxima. Materia Syllo-  
gisticæ remota est, ex qua, non tamen immediate constat, cuiusmodi ma-  
teria sunt termini. Materia Syllogisticæ proxima sunt propositiones seu  
orationes affirmantes vel negantes aliquid de aliquo. Forma autem Syl-  
logisticæ est ipsa figura & modus. Figura Syllogismi est nibil aliud, quam  
certa mediis termini cum extremis in ratione subjecti & predicati dispo-  
sitio. Modus vero est definita propositionum in quantitate & qualitate  
habitudo in certa figura. Sicut igitur materia Syllogismi sunt termini &  
propositiones; ita forma ejus est ipsa dispositio terminorum & proposi-  
tionum, que figura & modus appellatur. Et licet ab eo dissentire vi-  
deantur isti, qui cum Conrado Hornejo in Compend. dialect. p.  
129. consequentiam Syllogisticam ex hac terminorum & propo-  
sitionum dispositione resultantem pro forma Syllogismi vendi-  
tant,*

tant, tamen in re tandem convenient. Quare etiam B. Bechmannus l. c non tam operos è hanc Horneji sententiam refutare debuisset, sed facil negotio conciliationem quandam inventire & utrumque tanquam formam Syllogismi retinere potuisset, simili fere ratione, qua ipsi Domini Jenenses & inter eos B. Bajerns in Compend. Theol. posit. P. III. C. IV. de Justificat. §. V. ad formam totius justificatorii & judicarii processus imputacionem justitiae Christi & non-imputationem peccatorum referunt, licet unumab altero præsupponatur aut includatur.

§. IV.

Ut autem eo clarius innoteſcat, quid per hanc formam, Figuram ſcilicet & Modum, hi Logici intelligent, ſequentia adhuc erunt notanda. Etsi alias Peripateticorum vox in vulgus quoque nota ſit: Formam viventis picti dicesſe figuram; tamen hic ad ipſam Syllogismi formam figuram referunt, & circa figurās haſce certos eosque varios Modos pingunt. Figureas plerumque numerant tres, licet alii quartam quoque adjiciant, quam tam Clarissimus Weſius in Logica p. m. 68. pro ſupervacua habet. Et de his vulgares extant verſiculi:

*Prima prius ſubiectū medium, poſt prediſat ipſum,*

*Altera bis dicit, Tertia bis ſubiectū;*

Cuius figure certos Modos aſignant, quos certis quibusdā vocibus a ſe invicem diſtingvere aſſolent Verſus nota de iis ſequentes:

*Barbara. Celarent, Prima darii Ferioque,*

*Cesare, Cameſtres, Festino, Baroco, Secundæ.*

*Tertia grande ſonans*, edit Darapti, Felapton,

*Adjungens Disamis. Datisi, Bocardo, Ferison;*

ut reliquos Modos nunc taceam.

Quomodo haec ſingula tribus literis constantia vocabula tribus Syllogiſimi enunciationibus reſpondeant, & quomodo vocales A. E. I. & O, propositionum quantitatē & qualitatē ſignificant, juxta aſſertum illud Scholasticorum:

*Afferit A. negat E. ſed universaliter ambo,*

*Afferit I. negat O. ſed particulariter ambo,*

Id lege in Bechmanni Institutionibus Logicis p. 417. Nos modum tenere debemus in recenfendis atque deducendis illis Figureis & Modis. Properamus tantum ad ſcopum noſtrum, juxta quem non

non jam disputabimus de eo, an certas Syllogismorum figuræ certosque earum Modos constituere liceat? sed, An necessarium sit, ad eadem magna cum cura atque opera respicere, quando ad argumenta adversariorum responsa dare nobis incumbit? Et,  
*An sit ista necessarium, ut sine illo respectu ad formam habito adversario  
victas sepe manus dare cogamus?*

§. V.

Pro affirmativa tanquam pro aris & foci pugnarunt Scholasti, quippe qui formam syllogisticam quasi pro eruditissimis hominibus informante habuerunt. Secuti eos non tantum cum Calvinianis & Socinianis Pontifici Doctores fere omnes, sed & plurimi Nostratium Theologorum, & Philosophorum quanquam plane alia intentione istum disputandi modum asservarunt, non scilicet, ut fraudis disputatoria esset receptaculum, atque re ipsa amissa de verbis controversia fieret, sed ut eo felicius hi adversarii latebras querentes elatibus suis protraherentur. Et horum in primis placita (pace tamen tantorum Virorum) sub examen revocare nobis animus est. B. Bechmannus non tantum utile, sed & summe necessarium existimavit, ad argumenta adversariorum in forma respondere. Ita enim in præfatione aurèi suilibri, quem de Theologia polemica conscripsit, hac de re disserit: *Primo adversariorum argumenta accurate ponderentur in forma, hac enim neglecta sèpius frustra ad materiam responderetur. E.g. Si Socinianus, Christi divinitatem impugnaturus, hoc arguento insurgat: Verus Deus est Pater. Christus non est Pater. Ergo Christus non est verus Deus. Orthodoxus quid respondebit? Majorem & Minorem videt infallibilis esse veritatis. Manus igitur hosti dare cogitur, nisi de forma, que vitiosa est, sollicitus sit. Quid Sociniano orthodoxus respondebit, Filiū Dei satisfactionem pro nobis praestam impugnanti, si ira argumetur: Natura divina non est pro nobis mortua. Natura divina est ipse Filius Dei. Ergo ipse Filius Dei non est pro nobis mortuus. Quid, inquam, reponetur adversario, nisi vitium in forma ostensum fuerit? quod enim materiam attinet, utraque præmissarum sua luce radiat.*

§. VI.

Cornelius Martini tela adversus hunc formam Syllogisticæ negleg-

gleatum acuit, dum in sua Analyti Logica Cap. III. contra Virum quandam haut infimae fortis ita abjecte & rigide agit : *Prater errorum in forma, quem hic profecto nimis absurde committit, ( existimat enim, Propositionem quandam esse negativam, cum tamen juxta Martinianam mentem pro infinita fuisse habenda ) etiam alium addit, quod velit mala forma neglecta nihilominus respondere ad materiam. At in hoc inflar vipers & serpentis vita. Nihil enim sit perieulo sius, quam velle ad materiam respondere neglecta forma, quando illa est vicia. Nam aut negare te oportet ea, que neganda non sunt, aut distinguere, que distinctionem non admittunt. E.g. Ut amur eadem forma Syllogistica, id est, Syllogismo infinito, sed in materia Philosophica, evidenti, arg, consciente tibi talem Syllogismum : Quis non est animal, non est homo. Lapis non est animal. E. Lapis non est homo. Profecto Syllogismum concedere viciam forma, id certe nimis est stolidum; negare autem neglecta forma, multo est stolidius. Nam certe Major & Minor sunt verissime, scuti quoque conclusio : Et tamen Vir bonus hic tibi formam concedet. Quid igitur de Syllogismo toto tandem decerner? Pone enim talem esse, qualem is arbitratur, ex puris negantibus, & negligi, si Vir es, formam respondere autem ad materiam, absurdissimus eris, disputator & risus debet his vel ipsis infinitibus. Ponamus autem Syllogismum, qui revera ex puris negantibus constitutatur, quid ille respondebit? E.g. Nulla Arbor est animal. Nullus homo est arbor. E. N. homo est animal. Conclusio certe falsissima est. Omnes enim homines sunt animalia. Sed quid ager ille Examinator & Resolutor? an respondebit, quod supra? respondetur, ajebat, ex puris negativis procedit argumentatio, eamque ob causam non coharet; sed ista valeant &c. Valeant sane. Quo igitur se deflebet? nam formam suo adversario condonavit. Nisi igitur conclusionem negare velit, videlicet ad materiam ei respondendum est: ad quam alter non respondeatur, quam aut negando, aut distinguendo, nec enim aliud est, quod in materia facere possit; si quidem ad illam sit respondendum. Quid autem queso in Majore hac aut negabit, aut, ut ex parte neget, distinguere poterit? Syllogismus ita se habet: Nulla arbor est animal. N. homo est arbor. E. N. homo est animal. Qua prout loco ponitur Proposition, est Major, quam si impugnare velit liberalis aliquis, qui totam formam hic prodegerit, ad materiam autem respondere velit, & sua mendicari consuleret, quid, inquam respondebit? Nonne vera hec est: Nullam arborem*

arborem esse animal? Quam hic distinctionem inveniet? N*e*g*c*, enim ulla circumstantia facere potest, ut arbor sit animal, nullus hoc respectus impetrabit. Quare nec distinctione ulla, multo minus insciatione aut negatione in Majorem pugnare potest. Stat illa suo recte tali, innititur solido fundamento. Neg*c*, enim est arbor, neg*c*, unquam esse potest animal. Quare illi ad Minorem, Majore immota, debellandam, copie advocanda sunt. Sed adamantino etiam illa fundamento innixa omnes insultus spernit. Dicit, nullum hominem esse arborem, idque tam vere dicit, ut autoritatem tueatur contra omnes respectus. Nullo enim modo fieri potest, nullo, inquam, modo, qui quidem ab homine excogitari possit, ut efficiatur, aliquem hominem aliquaratione esse arborem. Quare invicta est materia. Cum autem forma dimissa sit, & nostro Disputatori evolarit e manibus, jam concedere & largiri cogetur, nullum hominem esse animal. At*c*, ideo magna pars nostri per hunc Disputatorem nobis perierit. Et tamen tolerabili sine hac in talibus Syllogismis, qui materia constant evidenti, id est, istiusmodi, in quibus ram Major, quam Minor ita sunt certe, ut Disputatoris inscitionem facile ostendant. Quid autem fiet de illis, de quorum materia non liquet? E.g. Si quis talen proponat: Nulla Opera salvant. N. fides est opus. E. N. fides salvat. Et quem alias memini me proponere: Pater est Deus. Filius est Deus. E. Filius est Pater. Falsissime sunt conclusiones, ex premisis tamen deducte veris, quas quidem Ecclesia nostra veras agnoscat. Negligat mihi hic quis formam, & si Vir est, respondeat. Cum placuerit Cornelio nostro de re sane levissima tantis verborum lenocinii agere, integra ita verborum plaustra Lettori ingenuo ad conspiciendum præbere volui, quo eo clarius patet, quam necessarium hic Vir duxerit, in responsione ad argumenta adversiorum formam Syllogisticam observare.

### S. VII.

Addit tamen & his aliquid B. D. Joh Adamus Scherzerus, tunc Philosophiæ Magister, dum in aurifodina distinctionum p. 9. adducetis quibusdam Cornelii Martini verbis, ita scribere pergit: Addo ego, aliquando impossibile esse, ut ad materiam possimus respondere, quando forma est vitiosa v. g.

Quicquid S. Scriptura dicit, verum est.

Canis Tobia movet caudam.

E. Pontifex est infallibile caput Ecclesie.

*ut frustra sit ille, qui dicit : non semper esse formaliter disputandum,  
vel qui dicentem defendit.*

**s. IX.**

Licet autem inter Viros, judicio pollentes, locum mihi nullatenus arrogem, tamen existimarem, facillimo negotio ad omnia hujusmodi dubia accurate & solide responderi posse, si vel maxime forma penitus negligatur Ita enim in responsione ad quasvis Objectiones procedere soleo: Quando una præmissarum, aut Major, aut Minor, falsitate laborat, tunc eam nego, atque probationem ejusdem desidero. Sin vero e præmissis veris falsa est educta Conclusio, tunc nego Consequentiam & connexionem mediis termini sive rationis cum Conclusione, vel respondeo per instantiam, distingvo & limito. Hoc ipso quam felicissime adversarium confundere atque convincere valco, si vel maxime mihi nec figura quedam, nec Modus aliquis in mentem venerit. Neque Martinianus quidam putet, nos absurdum eo modo conclusionem velle negare, quando ad Conclusionem falsam e veris præmissis deduciam negando responsum. Nam inficiamur tantum connexionem mediis termini seurationis eum conclusione. Hoc ut eo melius intelligatur, notandum est, Conclusionem dupliciter sumi posse (a) pro ultima propositione Syllogismi, constante e subiecto, Prædictato & Copula, hoc modo nullatenus ea est neganda, si veræ adlunt præmissæ; (b) sumi potest simul pro respectu ac connexione illa, quam ista proposicio vi particula Ergo cum antecedentibus præmissis habet. In hoc respectu etiam præmissæ aliquid de Conclusione participant, unde quoque particula Ergo a recentioribus ipsi Minoris statim subjicitur, non autem Conclusioni siue ultimæ Propositioni præponitur. Quare etiam hac ratione omnino Conclusionem sive potius vis & connexionem Conclusionis negari potest. E. g. absurdum esset, si in responsione ad argumentum supra assatum: *Verus Deus est Pater E Christus non est verus Deus*; ita procedere vellem, ut dicarem: Major est vera, Minorem etiam concedo, sed nego hoc, quod Christus non sit verus Deus. Ita autem optime possem respondere; Licet concedam, Verum Deum esse Patrem, quamvis quoque largiar Filium non esse Patrem, tamen nego, quod NB. exinde sequatur, Christum non esse

*ve-*



verum Deum. Si enim mihi licitum est, v. g. in hoc Syllogismo conditionali: *Si Christus non est Pater, sequitur quod non sit verus Deus*, petere probationem connexionis; cur non etiam hic eandem expetere licebit, quando dicitur: Christus non est Pater E. non est verus Deus. Illustreremus hoc alio exemplo. Sicuti v. g. in Syllogismo conditionali:

*Si tu vivis, sequitur, quod sis lepus,*

Licitum est, petere probationem connexionis, cur non etiam i-  
stud licebit iu hoc Syllogismo:

*O lepus vivit. Tu vivis. E. tu es lepus.*

Dico: Dux præmissæ sunt veræ, nego autem connexionem me-  
diæ termini cum conclusione. Non sequitur: Tu vivis, Ergo tu  
es lepus. Si in Majore Propositione velis hoc exinde probare:  
Quia lepus vivit, tunc etiam limito: Si NB. solus lepus vivit, se-  
quitur, quod tu, si vivis, etiam sis lepus. Sic autem nego deinde  
Minorem Propositionem. Imo quia plerumque ejusmodi So-  
phismata ad decipiendum incantum Respondentem afferuntur,  
hinc optime tuo officio hic fungetur, si ad istiusmodi argumen-  
tationes argutas & Opponentem aliquantum acuentes Instantias  
attulerit. E. g. Si aliquis objiceret illud Sophisma, quod Corne-  
lius Martini lib. cit. in exemplum vitiosæ formæ adduxit:

*Præ foribus nemo recte canit, nisi qui habeat lingvam.*

*Sed equus habet lingvam.*

*E. equus præ foribus recte canit.*

Negarem Consequentiam: Si equus habet lingvam, sequitur.  
quod equus præ foribus recte canat. Possem enim similem in  
modum concludere:

In Collegio Disputatorio nemo Opponentium articulate ore  
suo objectiones profert, nisi qui habeat linguam.

Sed equus habet lingvam.

E. Equus in collegio disputatorio articulate ore suo objectio-  
nes profert.

Si etiam hoc ad vexandum Respondentem concederet Oppo-  
nens, tunc jocosas & aculeatas suas Responses ille quoque de-  
beret continuare, & v. g. dicere: Frequentet itaque Dn. Oppo-  
nens equilia, atque in iis objectiones equorum assumat & ad eas-

dem respondeat. Sic si aliquis argumentaretur: Q. peccator est  
damnatus. Moses fuit peccator. E. Moses fuit damnatus. Ego  
negarem consequentiam: Si Moses fuit peccator, E. fuit damnata-  
tus; darem quoque instantiam: A. tu es peccator. E. tu es  
damnatus. Si regereret Opponens: Quidli haec quoque con-  
cederem? tunc possem forte his verbis eum dimittere: Cum  
desperabundo mihi amplius nulla res sit: foret haec pugna despe-  
rata. Non sane hoc levis momenti monitum addidisse, nisi a-  
liquoties ejus utilitatem ipsa praxis mihi monstrasset.

§. IX.

Sed a jocosis ad res serias nos convertamus, & tentemus, u-  
trum istas in præcedenti §. traditas regulas etiam ad argumenta-  
a B. Bechmanno &, Cornelio Martini & B. Scherzero allata ap-  
plicare & forma penitus neglecta ad eadem tamen sufficientes  
responsiones dare queamus. Hoc tamen præmonendum esse  
censeo, quod Viris hisce summis concedam, ad materiam in e-  
jusmodi argumentis ( qualia ab ipsis fuerunt adducta ) juxta ipso-  
rum in tensionem non posse responderi, siquidem omnes præ-  
missæ ( has autem per materiam inrelligunt ) in iis, sunt ve-  
rissimæ. Sed hoc tamen licebit mihi negare atque pernegare,  
quod nihil adversario reponi possit, nisi vitium in forma often-  
sum fuerit. Per responsionem vero ad formam ipsi nihil aliud  
intelligunt, quam respectum illum, quem ad Figuras earumque  
Modos, item ad Regulas illas Syllogismorum generales & speci-  
ales semper in responsionibus habendum esse, existimant. Sic ipse  
B. Bechmann. in Instit. Logic. p. 431. collectionem illam: Deus  
est Pater, Filius est DEus E. Filius est Pater in forma ideo vitio-  
sam esse asserit, quia primæ figuræ regula per istam læditur, jux-  
ta quam Major universalis esse debet. Idem sine dubio judici-  
um tulisset de isto Syllogismo, quem supra ex eō adduximus:  
*Verus Deus est Pater. Cbristus non est Pater. E. Cbristus non est verus  
Deus;* quia etiam in secunda figura Major ita debet esse compara-  
ta, ut ei signum universale præfigi possit. Quare etiam in to-  
to Tractatu Logicō, quem de modō solvendi sophismata con-  
scriptis, hunc modum tenaciter observavit, quod & a Cornelio  
Martini factum esse ocularis inspectio demonstrat. Ethoc quo-

que B. Scherzerus lib. cit. Cap I. §. 7. per formam intellectu, ceu expressa ejus verba confirmant. Atque id quoque primittere ideo necessarium esse duxi, ne aliquis in hanc prolabetur opinionem, quod nostræ responsiones cum his respondendi modis tandem coincident.

### §. X.

Contrarium jam patebit ex iis, quæ sequuntur. Ad Argumentum primum allatum ego responderem negando connexio nem Medi termini cum conclusione, sive negando hanc consequentiam: Christus non est Pater, Ergo non est verus Deus. Si ista exinde probaretur: Quia Pater est verus Deus; tunc argumentum formare: Si Pater est verus Deus, sequitur, quod, si Christus non est Pater, ipse non sit verus Deus.; & deinde limitare: Si *situs* Pater in oppositione ad Filium est verus Deus, sequitur &c. Sic autem deinde Minorem inficiarer. Ita in altero quoque argumento negarem hanc consequentiam: Si natura divina est ipse Filius Dei, sequitur, quod Filius DEI non sit pro nobis mortuus. Probaret dissentiens hoc exinde, quia natura divina pro nobis non est mortua. Struerem argumentum: Si natura divina pro nobis non est mortua, sequitur, quod Filius DEI, qui est natura, divina, non sit pro nobis mortuus; & denique limitare: Si neque ipsa natura divina, neque is, qui habet naturam divinam est pro nobis mortuus, sequitur, quod Filius DEI non sit pro nobis mortuus. Sic autem nego Minorem, nam licet ipsa natura divina non sit pro nobis mortua; tamen is, qui habet naturam divinam est pro nobis mortuus, & is est Filius DEI, de quo Act. XX. dicitur, quod Deus sanguine suo Ecclesiam sibi acquisiverit. Quod sophisma e B. Scherzero allatum concernit, in eo quivis videt, quod haec nullatenus connectant: Canis Tobiæ movit caudam. Ergo Papa est caput Ecclesiæ. A cauda ad caput quæ consequentia?

### §. XI.

Eadem plane ratione possem facilissimō negotio ad reliqua omnia Sophismata respondere, sed ut brevitatē studeam, argumentis quibusdam evincere conabor, quod præstet, ita statim ad rem ipsam neglegat a formare respondere. Nam licet hæ rationes

nes forsitan sparsim apud alios inveniantur, tamen in una quādam serie illas ex instituto deductas non deprehendi. Jenensis Academīa lumen, Joh. Franciscus Buddeus, in Elementis Philos. instrumentalis P. I. §. 48. & 49. scribit: *Trium terminorum certam dispositionem alias FIGURAM vocant: Dispositionem autem propositionum, secundum earum universalitatem & particularitatem MODUM. Figuras tantum tres nonnulli esse posse contendunt: quartam alii addunt, regulis insuper certis quamlibet figuram circumscribentes, quae non observentur, vitiosam inde evadere ratiocinationem, autumant.* *Ait non opus esse tot ambigibus, alii jam pridem observarunt. Si conclusio recte consideretur, si deinde consideretur medius terminus, & expendatur ejus cum terminis conclusionis collatio, an hac rite instituta sit, facile res expediri potest.* Sed nullam fere hujus rei rationem addit & expōnit. Imo quasi adhuc fluēt; & in dubio relinquit, num hęc optima & solidissima methodus in confringendis adverſariorum Sophisticationibus sit; dum §. 50. pergit: *Nec displicet mihi illorum Methodus, qui ita procedunt: In omni Syllogismo unam premissarum continere conclusionem dicunt, idg, ut demonstretur, adibei alteram propositionem, quam applicativam vocant, sicut priorem continentem appellant.*

## §. XII.

Est illa methodus Autoris illius, qui subtili sane judicio Ar-tem cogitandi conscripsit, & quam merito Dn D. Buddeus erudit̄a sua p̄fatione ornavit. Sed putarem, illam quoque adhuc magis ad formam Syllogismi externam & ad positum atque dispositionem verborum, quam ad formam ejus internam nempe ipsarum rerum connexionem respicere. V. g, assumamus argumen-tum illud, quod l. c. p. 210. allatum est;

Officium Christiani est, eos non laudare, qui peccant,

Qui duello decernunt; peccant.

E. Officium Christiani est, eos non laudare, qui duello de-  
cernunt.

*Inutiliter ego* (inquit Autor ille judiciosissimus) *operam perderem, si ad quam figuram modumve reduci posit hic Syllogismus, operose disqui-verem. Satis est animadvertere, conclusionem in altera Premissarum con-sineri, idque demonstrari ab altera. Hoc autem protinus patet: Nihil enim*

enim Major differat a conclusionē, nisi quod Major habeat, EOS QVI  
PECCANT; conclusio vero EOS, QUI DUELLO DECERNUNT.  
Nam vero illa Propositia, in qua habetur, II, QUI PECCANT, il-  
lam aliam continebit, in qua est, QUI DUELLO DECERNUNT,  
modo PECCARE in se decinet DUELLO DECERNERE. Ex sen-  
su vero manifestum est, illum terrainum, QUI PECCANT, sumi uni-  
versaliter, hoc est, intelligi de iis omnibus, qui quocunque modo peccant.  
Atq[ue] adeo Minor hec, QUI DUELLO DECERNUNT, PEC-  
CANT; cum ostendat, DUELLO DECERNERE, contineri sub  
alio termino PECCARE eadem ostendit, primam Propositionem con-  
tinere conclusionem. Sed cum juxta ipsam Autoris confessionem ex  
sensu manifestum sit, terminum, qui peccant, sumi universaliter,  
cur non etiam ex sensu statim constare poterit, eos non esse lau-  
dandos, qui duello decernunt, & quidem ideo, quia peccant?  
Facilius fane ex ipsarum rerum connexione hac de re judicari  
poterit.

### §. XIII.

Verum cum ego non tam de formatione bonorum Syllogismorum,  
quam de eversione vitiosarum argumentationum differere  
instituerim, hinc quoque breviter videamus, num facilius juxta  
nostram quam juxta Autoris Methodum possimus respondere.  
L.c.p. 218. pergit: *Ope eriam hujus principii facilis negotio potest de-  
tegi fallacia hujus vulgaris Sophismatis:*

*Qui dicit, te esse animal, dicit verum.*

*Sed qui dicit, te esse anserem, dicit te esse animal.*

*E. Qui te dicit esse anserem, dicit verum.*

Respondere namq[ue] sufficit, ne virum premissarū continere conclusionē. Namq[ue]  
Major em contineret, (cum Major in hoc solum differat a conclusionē, quod  
in illa ANIMAL, in hac ANSER, continetur) oportet animal continere  
ANSEREM. Sed animal in Majori sumitur particulariter, quia est prædi-  
catū hujus Propositionis affirmativa incidentis, TU ES ANIMAL; ac pro-  
inde ANSEREM, continere potest nisi in comprehensione; binc ut quid pro-  
bare, ANIMAL in Minore deberet sumi universaliter, ita ut ANSER  
affirmaretur de OMNI ANIMALI, quod tamen nec sit nec fieri potest,  
cum animal etiam sumatur particulariter in Minori: Quandoquidem  
tam hic, quam in Majori sit prædicatum hujus Propositionis affirmativa

D

imi-

incidentis TUI ES ANIMAL. Hinc etiam peti potest solutio Sophisma-  
sis, quod B. Augustinus refert:

Non es, quod ego sum.

Ego sum homo. Ergo

Tu non es homo.

Hujus vitium patet ex figurarum regulis, nam est in prima figura & pro-  
positio prima (qua hic est Minor) est negativa. Sed respondere satis erit,  
conclusionem non contineri in prima Propositione, neque altera haec scil.  
EGO SUM HOMO, probat illam contineri. Nam cum conclusio sit  
negativa: vox, HOMO, sumetur universaliter, ac perinde continetur  
non potest in hoc termino, ID QVOD EGO SUM, nam qui sic argu-  
mentatur, non est ONNIS HOMO sed solum ALIQVIS HOMO:  
ut patet ex eo, quod in Propositione applicativa tantum dicit, EGO SUM  
HOMO: ubi vox HOMO particulari significacioni alligatur; quia  
estipradicatum propositionis affirmativa, jam vero universale non conti-  
netur in particulari. Subtiliter sane haec sunt excogitata, sed uni-  
cuique patebit, quod juxta nostras regulas facilius & clarius posse  
responderi. Primum argumentum statim limitare h. m. Qui di-  
cit te esse animal rationale, is dicit verum. Sed qui dicit, te esse  
anserem, dicit, te esse animal rationale, negarem Minorem. In  
altero Sophismate, cum non commode statim limitatio in Majore  
addi posset, negarem connexionem: Si ego sum homo; sequitur,  
quod tu non sis homo, darem instantiam: Si ego sum Studiosus,  
sequitur, quod Tu non sis Studiosus. Et si ulterius connexionem  
hauc probaret: Si tu non es, quod ego sum, sequitur, quod, si e-  
go sum homo, tu non sis homo, statim responderem limitando:  
Si tu non es, neque in specie, neque in individuo, quod ego sum,  
sequitur &c. Sic autem nego Miuorem propositionem, nam licet  
non sum in individuo, hic vel ille homo, qui tu es, tamen sum in  
specie sub animali comprehensa homo, quia prout tu gaudeo cor-  
pore organico & anima rationali. Hoc ideo omnis lis de verbis  
eorumque positu plane exspirat, atq; ad ipsarum rerum discus-  
sionem deducimur.

#### §. XIV.

Et haec est primaratio: Quia per hujusmodi responsiones solidas  
promovetur scientia, dum rehæsis vocum & phrasum dispositionibus ad  
con-

*connexionem ipsarum rerum deferimur.* Vedit illud & accurate annotavit Excell. Dn. D. Titius, dum in laudata sua arte cogitandi CAP. X. §. VI. VII. & VII. hæcce ex solidæ Scientiæ flagranti amore nobis scripto tradidit : *Nos opus esse, istis figuris & modis ad dijudicandam Syllogismorum bonitatem, ex monito §. III. jam intelligi potest.* Ibi enim dixerat, quod illæ figuræ tantum sunt accidentales, atque quod ab iis vis concludendi non dependeat. *Quomodo tamen sine iis bonitas laudata intelligi queat, id forte non adeo liquendum est.* Voluit hac de re monita nonnulla függerere Aut. art. cog. P. III. C. XI & XII. (quo etiam ea pertincent, quæ in antecedenti §. ex eo sunt adducta) sed quæ nobis longius petita & obscuriora videntur, quam ut animum dubium valde instruere queant. Non diu hic quæ renda suor remedia: *Observeretur forma essentia seu figura communis, ac de veritate Syllogismi recte judicabitur.* Applicatio autem hujus moniti non est difficultas, nam primo resipiciendum ad conclusionem, deinde ad medium terminum, quo facto etiam judicari potest, an ejus & terminorum conclusionis collatio in premissis recte sit instituta, nec ne. Imo satius est, Triones ablegare ad formam essentialem, quam figuram accidentalem in eaq; contentos modos, nam illo respectu ultimam rationem, cur Syllogismus verus aut falso sit, simul addiscunt, cum hoc posteriori causam nullam audiant, ut facile liquat, fulgares illas Figuras & Modos ad superficiariam doctrinam perire.

### §. XV.

Pedem igitur promoveo ad alteram rationem, huic superstruetam: *QVI A per hunc respondendi modum adversarium meum nullatenus convincere possum, & dum disputatione mea controversias removere intendo, istas potius adaugeo.* Quæso enim! Sirigidum aliquem adversarium acciperem, isque mihi proponeret hoc Sophisina: Q. Lapsus est damnatus. A. Petrus est lapsus, E. Petrus est damnatus; & ego responderem ad formam, dicendo: A Minore particulari in prima figura nihil sequitur; tunc ille possit hanc nota abutiri, quam ipse Bechmannus in Institutionibus suis Logicis p. 432. huic Regulæ apposuit, quod scil. ea intelligenda sit de modis primæ figuræ directis, cum vero indirecte concluditur in FRISESMO, Majorem esse particularem. Id enim e Bechmanno l.c. p. 411, sq. annotandum, quod præter supra adductos quatuor

modos directos in prima figura dentur duo indirecti. FAPESMO & FRISESMO. In Fapesmo Major est universalis, Minor universalis negans. In FRISESMO Major particulariter affirmat, Minor vero universalis negans est. Exemplum modi FAPESMO Bechmannus hoc adducit: O. homo est animal. N. Brutum est homo. E. Q. animal non est brutum. Exemplum modi FRISESMO hoc afferit: Q. homo est animal. N. brutum est homo. E. Q. animal non est brutum. Imo hisce duobus modis indirectis tres alios addiderunt, BARALIPTON, CELANTES, DABITIS. Author quidam Logicae Ramisticæ omnibus figuris 24. modos assignat, & in prima quidem præter illos, quos ex Aristotele didicerat, habet quintam formulam, sive Modum CADENTES, sextam commode vocat NARRARI, septimam BIGAMIS, octavam ORANDO; licet itaque argumentum ab adversario allatum non sit in modo BARBARA: tamen erit vel in BIGAMIS, vel in alio quodam. Et si deinde Respondens illa accuratementi sua impresit, quæ contra hos modos Cornelius Martini l.c. Cap. VII. attulit, lis erit de formaliter tricosis questionibus & a materia substrata sive re ipsa disputantes abducentur. Quod etiam Theologinostrates in Colloquio Ratisbonensi præcavere voluerunt, dum respensionem ad formam Tannerianam neglexerunt atque flocependerunt, licet hic coccynum suum aliquoties repetierit: Ad formam. Ad formam. Qua de re illustre & fide dignum testimoniūm inferius suppeditabo. Legat modo aliquis B. Bechmanni Institutiones Logicas, & videbit, quod omnes Regulae, ad formam syllogisticam spectantes, tam generales, quam speciales, ita sunt circumscriptæ & limitatae, ut vario modo subdolus quidam adversarius elabendi rimam querere & invenire poscit.

§. XVI

Tentemus istud vel in sola ista regula, juxta quam Minor primæ figuræ semper debet esse affirmans, Nota Imma a B. Bechmanno loc. cit. pag. 432. huic Regula subiecta hæc est: *Regula boc intelligenda de illa propositione, que vere Minor est in prima figura, boc vi cuius regule non debet esse negans. Cum ergo inter dum contingit, ut loco vera Minoris ponatur ejus vicaria negans, sequitur quidem aliquid, non tamen vi cuius vicaria negantis, sed vi*

pe



*vira Minoris affirmantis.* E. g. in hoc Syllogismo: *Quod non est animal, non est homo. Lapis non est animal. Ergo Lapis non est homo.* loco vere Minoris ponitur vicaria, quæ negans est: *Ipsa autem vera Minor est hoc: Lapis est id quod non est animal, quæ affirmat, & sic in aliato exemplo sequitur aliquid non vi vicaria negantis, sed vi vere Minoris affirmantis.* In Nota tertia scribit: *Videtur interdum in prima figura ex Minore exclusiva (qnam ad virtualiter negantem referunt) se qui conclusio exclusiva, ut in hoc exemplo: O rationale est capax disciplinae. Solus homo est rationalis. Ergo solus homo est capax disciplinae. Verum hic Syllogismus non vi prima sed vi secunda figura consistit. Major enim ob terminos reciprocos potest simpliciter converti, quod si sit, Syllogismus actu est in secunda figura.* O egregiam! formæ Syllogisticæ dijudicationem, quæ ut alter Proteus omnes fere formas recipere potest! Nonne eo modo vafer quidam adversarius varia effugia reperiet, si vel maxime ad Syllogismum in forma virtiosum juxta formæ regulas aliquid regefferim?

S. XVII.

Nolo hic omnia, quæ B. Bechmannus cum aliis adduxit, repetere & examinare, sed tamen licet jam mihi probare, quod ex Minore formaliter negante in prima figura aliquid accurate sequatur, hoc enim si obtinuero, omnis cunctarum quoque Regularum vis & efficacia in fringetur. Et hoc palmarium argumentum contra necessitatem respondendi ad formam mecum recte habebat Excellentiss Dn. D. CHRISTIAN Weidling, Patronus atque Praceptor meus colendissimus, cum isti mentem meam de hac Dissertationis materia primum aperirem. Adduxit quoque Vir quidam Excellentissimus in Arte sua cogit. Cap. X. §. 21. aliquid argumentum, quod nostrum assertum stabilire poterit. Postquam enim Regulæ de Minore affirmativa in prima figura mentionem injecerat, addit: *Sed quid desiderari potest in hoc Syllogismo: O. Homo est animal rationale. Leo non est homo. Ergo Leo non est animal rationale? Nonne illa ratio concludendi manifeste bona est, que subjectum & predicatum, que in certo tertio non convenient; inter se quoque pugnare contendit? Sed atque mutemus paululum Syllogismum & absurditas conclusionis erit manifesta: O Homo est animal. Leo non est homo. Ergo Leo non est*

animal. Verum si terminus animalis in Conclusionē perinde sumitur, sicut suppositus fuit in Majore, nempe particulariter, tum conclusio est veriusima, si autem aliter accipiatur, tum evadunt quatuor termini, quibus adeo, non negationi Minoris, absurditas Conclusionis est imputanda que observatio in omnibus exemplis, que hic objici possunt & solent, locum habet. H. Etens ille Addi potuisset meo quidem tenui judicio, quod ego nolim istud argumentum omisla voce rationale assumi. Sed etiam ab adversa parte addi potuisset exceptio illa e Bechmanno supra allata, quod nempe hic loco vera Minoris posita sit vicaria, & quod ipsa vera Minor hæc affirmans sit: *Leo est id, quod non est homo.* Et ad hanc ipsam exceptionem quoque respondebitur in iis, que ad ea quoque erunt repetenda, quorum Autor toties laudatus ulterius fecit mentionem. De Syllogismis enim propositionum infinitarum nullam litem esse opinatur, nam illos bonos esse, juxta vulgarem opinionem ipse quoque adstruit. V. g. in hoc argomento: Scripturæ est adhibenda fides. Tradition non est scriptura. Ergo traditioni non est adhibenda fides, alterius Artis cogitandi Autoris opinionem de Minore propositione evidenter negatiya deserit, & dicit, eam esse revera affirmationem negantis prædicati, nam plene ita se hunc Syllogismum habere scribit: Quicqu. non est Scriptura, ei in negotio religionis fides non adhibenda. Traditio est id, quod non est Scriptura. Erg. ei in negotio religionis non est adhibenda fides. Concedat autem mihi Vir Excellentissimus, ut ea, qua par est, submissione dicam, Autorem artis cogitandi Majorem non negatiya sed affirmative proposuisse: *Credendum scriptura est, sive, ut iste intellectum voluit: Q. est Scriptura, illi est credendum.* Jam in Minore subsumit: A. Tradition non est Scriptura. Hæc omnium etiam vulgarium Logicorum confessione est negativa. Et quod hæc ejus mens fuerit, patet ex exemplo 6, ab Autore artis cogitandi eodem cap. IX. allato: *Q. non habet partes, interire non potest per dissolutionem partium. Sed anima nostra non habet partes. Ergo anima nostra interire non potest per partium dissolutionem.* Sunt inquit, qui similium Syllogismis utuntur ad ostendendum, non deberi generaliter & sine distinctione acceptari Logicum: illud axioma: *Ex puris negativis nihil concluditur, Sed non animadvertis Minorem hujus similiusque Syllo-*  
*gis.*

giorum sensu affirmativa esse, quia in illa medius terminus qui subiectum in Majori predicatur. Nam vero subiectum non est id quod habet partes, sed id quod non habet partes: adeo ut sensus Minoris sit, Anima nostra est res, quae non habet partes: qua Propositio affirmativa est, habent tamen predicatum negativum. Verum & haec de Minore ut vocant in finita sententia intellectum nostrum infinitis erroribus obnoxium aliquantum prodit. Nam quicquid Anonymus artis cogitandi Autor de Logicastris dicat, nihilo tamen minus ejusmodi Syllogismi Minorem negativam retinebunt. Non sane ex sensu propositionum de earum negativa & affirmativa qualitate judicandum est, sed ex particula negantis positu atque connectione cum Enunciationis cuiusdam subiecto aut praedicato. Hoc ut ex communis Peripateticorum mente accurate intelligitur, ex Conradi Horneji Compend. dialect. huc transferre licet, quomodo Enunciatio negativa ab infinita distingvatur. Negativa est, quando particula negans non ad subiectum, vel praedicatum, sed copulam spectat. Ad copulam vero pertinet 1) quando proxime ante eam ponitur, ut: O. homo non est lapis. 2) quando proponitur signo seu toti propositioni, quæ signum habet. ut: Non omnis homo est doctus & 3) quando includitur signo ipsi: Nullus homo est lapis. Infinita est, quando particula negans vel ad subiectum vel ad praedicatum pertinet. Ad subiectum vero spectat, cum postponitur signo, ut: O. non doctus est rudis. Ad praedicatum denique, cum postponitur copula, ut: Omne animal est non lapis. Si ergo in argumento allato Minor esset infinita, tunc particula negans in hoc positu deberet adesse: Quoddam, quod non est Traditio, est Scriptura. Vel si ita loqui vellemus Traditio est non Scriptura. Haec autem Propositio: Traditio non est scriptura, permanet negativa; quia particula negans ad copulam pertinet, dum proxime ante eam ponitur. Non enim exinde Minor fiet infinita, quia particula negans ad subiectum Majoris pertinet, sed ideo juxta Logicos est infinita Minor proposicio, quando particula negans ad ipsum Minorum subiectum spectat. Concedamus, quod ejusmodi Minor Propositio affirmet ea quæ a subiecto Majoris fuerunt proposta, & ita affirmabit seu potius confirmabit ipsam Majoris negationem, quod optime verbis ne-

negativis fieri posset. Sane si ex sensu harum propositionum de carum negativa qualitate judicare vellemus, tunc nulla foret negans, omnes essent affirmantes. Eo quoque modo in argumen-  
to superius adducto Minor Propositio fieret affirmans, si ex Propositione illa: Leo non est homo, formarem hanc: Leo est id, quod non est homo. In sinu gaudebam, cum Magnif. DN. D.  
**ITTIUS**, Patronus atque Praeceptor noster perpetuo deve-  
nerandus, cui meliorem valetudinem et toto pectore appre-  
mar, in discursu de hac materia instituto, mihi ostenderet, B. D.  
Danhauerum eandem sententiam vindicasse. Scripsit enim is  
Tractatum de Syllogismô, ut vulgo dicitur infinitô, in quô de-  
monstratur, hanc: Q. non audit verbum Dei, non est ex DEO. Ju-  
dæus non audit verbum Dei. Erg. Judæus non est ex DEO es-  
se ex puris negativis, nihilominus tamen in forma bonum. Ad  
hunc dissentientes ablegasse jam sufficiet. Ut tamen appareat,  
Virum istum nostram quoque jam allatam responsonem ultimam deciso suo approbase, e p. 18. & 19. haec verba hoc trans-  
scribam: *Dices: Ex resolutione ad orationem vere logicam apparere  
Minorem affirmare. Nam hoc Minor ait:*

*Omnis is, qui verbum Dei non audit, non est ex Deo.*  
*Ergo Judæus non est ex Deo.*

*Respondeatur: Non queritur de hac resoluta, sed de illa non resoluta.*  
*Nam si affirmativa Propositio dicenda est, quæ in affirmativa est resolubilis, tunc propositio extra controversiam negativa affirmabit.* Neq; obstat ulterius, quod B. Bechmannus supra asseruerit Minorem ejusmodi negativam; Lapis non est homo in prima figura concludere vi illius affirmativæ: Lapis est id, quod non est homo; nam utraque propositio tam affirmativa quam negativa hic simili valore eam ob causam concludit, quia homo est animal, & quia id, quod non est animal, non est homo. Si aliquis hic exciperet, quod ita quidé aliquid sequatur vi materiæ, non autem vi formæ, tunc haberé quod volo; sufficeret enim mihi demonstrasse, quod optima & firmissima sœpe adsit conclusio, ejusque vera cum medio termino connexio, si vel maxime forma Syllogistica externa non sit ob- servata. Quod prætere communes figurarum modi non sint omni exceptione majores, & quod Conclusio non semper sequatur parté debiliorem, item quod in Syllogismo possint esse plures termini, quam

quam tres, ut & alia contra consuetas formæ Syllogisticae regulas facientia invenies in subtilissima disputatione, quam Excellentissimus Dn. D. Andreas Rüdiger / Fautor noster honoratissimus de novis ratiocinandi adminiculis conscripsit. Conf. præcip. Cap. III. §. XIV. XX. XXI. & XXII. Noscum jam multa paucis ob penuriam temporis comprehendere cogamur, plura non addimus, nisi hoc: Quod potest commodius, atque solidius fieri per pauca, id non DEBET fieri per plura.

§. XIX.

Sed objectiones thesi nostræ obstantes etiam sunt removendæ. Et in hac re breviter ita procedam ut prius e medio ea tollam, quæ nostræ in primis respondendi methodo obstaculo esse possunt; deinde autem ad illa quoque respondebo, quæ ex adversantium mente communem istum ad formam respondendi modum stabilire possunt. Contra meam respondendi rationem ( $\alpha$ ) sapienter mihi objectionum fuit, quod tandem omnia quoque cum veteri ad formam Syllogisticam respiciente modo convenientiant. v.g. Si ego ad hunc Syllogismum: Q. Lapsus est damnatus. Petrus est Lapsus. E. Petrus est damnatus, responderem: Negaudo Consequentiam: Si quidam lapsus est damnatus, sequitur, quod etiam Petrus lapsus sit damnatus; illamque responsem ex eo fundamento deducerem: Quia a quodam ad omne non valet consequentia. Sed (dicunt) nonne hoc coincidit cū ista response, quæ ad formam communem Syllogisticam suppeditant: Major in prima figura non debet esse particularis sed universalis? Respondeatur: Minime. Licet enim in sensu ipso tandem convenientiant. tamen in modo ad istum sensum pervenienti multum discrepant. Juxta ultimum Modum cogor mentem meam primum ad Syllogismi figuram, deinde ad Modos Regulasque figurarum dirigere; juxta nostram methodum statim de rebus ipsis earumq; accurata connexione judicamus. Imo licet Hornejus loc. sup. cit. cum aliis ipsam consequentiam pro forma Syllogismi habeat, tamen nil aliud, quam consequentiam syllogisticam e regulari terminorum dispositione ortam intelligit; cum tamen nostra consequentia a solida rerum connexione dependeat & ex ea sola dijudicetur.

§. XIX.

Id etiam ( $\beta$ ) nonnunquam objectionis loco mihi fuit proposi-

E

tum,

rum, quod mihi non liceat pro lubitu argumentum adversarii mutare, sed quod teneat istud assumere. prout ab eo formatum est. Verum si illud vel maxime ita assumere possim, tamen istud ita asservare non cogor. Nam si adversario licitum est ad defendendas suas Figurarum & modorum regulas Reductionem quandam instituere (ceu Bechmannus quoque in Instit. Log. p. 435. fecit cur non alteri ad illarum necessitatem & infallibilitatem destruendam idem esset concessum? Sive autem Reductio illa sit ad Syllogismum simplicem sive ad compositum, hoc unum idemque est. Licet enim nonnulli disputationes Syllogismo conditionali auditio statim in dictatoria haec verba prorumpant: *Omnis Syllogismos incipientia a Si.*; quod aliquoties mihi obtigit, quando more consueto ob concisorem & fere solidiorem argumentationem ad ejusmodi Syllogismos Sophismata adversariorum reduxi, nihilominus tamen ea nunquam a mea sententia me dimoveri passus sum, in illa adhuc persistens opinione, quod sine dubio ita vox originem suam a nimio formæ syllogisticæ amore traxerit, siquidem ad Syllogismos illos conditionales non ita comode Regulæ Figurarum atque Modorum applicari poterunt. Sed B. Jacobus Thomasius in processu disputandi erotematicis Logicis annexo p. 155. scribit: *Hypothetice quidvis ex quavis facile potest concludi. non item categorice: Ut, si quis ideo niger, Hominem esse animal rationale, quia non plures sint Planetæ, quam septem, (quod argumentandi genus Scholastici dicebant a baculo fieri ad angulum) aegerrime quidem sit hinc Syllogismus categoricus, sed hypotheticus nullo negotio. Si enim non sunt Planetæ plures, quam septem, sequitur, hominem non esse animal rationale. Sed verum est prius. E & posterius. Connexum iterum facile quis probabit simili a baculo ad angulum argumentatione hypothetica.* Quasi vero etiam ejusmodi absurdula collectio non posset huic Syllogismo categorico nullo negotio includi: Q. dicit Planetas plures esse, quam septem, ille dicit, hominem non esse animal rationale. Sic juxta hanc sententiam facillime posset hypothetice concludi: Si canis Tobiæ movit caudam, sequitur, quod Pontifex sit infallibile caput Ecclesiæ; verum quod etiam ejusmodi argumentatio a baculo ad angulum in Syllogismis categoricis procedat, supra e B. Scherzeri aurifodina patuit, et quia hunc Syllogismum adduximus; Q. S. Scriptura dicit, verum est.

est. Canis Tobiae movit caudam. E. Pontifex est infallibile caput Ecclesie γ. Objectionem de modo Syllogismum adversariorum ad Enthymema quoddam tanquam imperfectum Syllogismum reducendi; eo ipso jam folvi, dum supra §. 2. evici, eum perfectis omnino esse annumerandum. δ) Sicut quoque in §. IV. jam satisfactum est illi objectioni, quod juxta nostrum resp. ndendi modum sapissime ad conclusionem respondeatur. ε) Et licet tandem difficilis aliquantum responderetur. si semper ad rem ipsam respiciendum, tamen sufficeret ad hoc regessisse, quod etiam multo solidiora responsa exinde profiscantur; quanquam & in responsione ad formam rei ipsius accurata cognitio adesse debeat, nisi absurdus aliquando velim argumenti cuiusdam vitiositatem ostendere, quod tamen veram thesin proponeret atq; defenderet.

§. XX.

Restat adhuc, ut thesin nostram defendamus contra ea, quæ ex adversariorum mente communem ad formam respondendi modum fulcimento stabilire possunt. Inter ea objectamenta ut præcipuum annotare potero, quod ea ratione cum rigido adversario, responsionem ad formam audacter & importune urgente, disputare nequeam. Quasi vero illi quoque non possem ex argumentis jam allatis demonstrare, quod sine ratione hunc inanem atq; incertum respondendi modum urgeat! Si hæc ratio valerer, tunc fane & B. D. Jacobus Andreæ in Colloquio Mompelgartenensi cum D. Theodoro Beza in stituto non potuisset disputare. Hic Beza non contentus fuit illa probatione Majoris, quam D. Jacobus nudis Scripturæ verbis ac sine Syllogismo posuerat, sed respondit: *Proba per Syllogismum*. Excepit D. Jacobus: *Scriptura S. dicta non indigent, ut probentur per Syllogismum, sed propter autoritatem divinam illis creditur. Regesit Beza: Fac Syllogismum: D. Jacobus reposuit: Hoc novum & omnibus Scholis inauditum est, Scriptura testimonia per Syllogismum probari.* Beza suum repetit coccygium: *Fac Syllogismum.* D. Jacobus subjunxit: *Dictorum scriptura germana sententia non Syllogismo probanda, sed ex scriptura demonstranda est.* (*Conf. Aet. Collagv. Mompelg. pag. 97. seq.*) Hic D. Beza coactus fuit, responsionem suam suppeditare licet vel maxime D. Jacobus nullum Syllogismum, cœu inter eos convenerat, protulerit. Simili ratione poterimus

quoque adversarios nostros demonstrata præstantia nostræ methodi convincere, si vel maxime clamitent: Ad formam! Ad mirari atque imitari & hic debemus prudentiam gravissimorum & subtilissimorum Theologorum, & Philosophorum B.D. Jacobi Heilbrunneri & B. D. Ægidii Hunnii, qui Colloquio Ratisbonensi ut Collocutores summo cum fructu inter fuerunt. Quod exemplum ut perillustre jam præcipue urgebo, quo eo certius ea quoque objectio infringatur, a Theologis nostratibus in negotio cum adversariis ad formam Syllogisticam semper accurate responsa fuſſe data.

### S. XXI.

Provocabo jam ad dia yeaφη colloquii Ratisbonensis, a D. Davide Rungio nobis traditam, & quam mihi Bibliotheca Magn. Dn. D. Gorti, FRIDER. SELIGMANNI Moecenatis Hospitis atque Præceptoris filiali obsequio colendi, per legendam præbuit. In hac dia yeaφη non tantum ostenditur, quod adversarii formam rigide de siderant, sed & deducitur, quod nostrates eam nihilominus in responsionibus suis non obſervarint. Sub lit. C. 2. hæc Pontificiorum verba e scripto quodam recensentur: Läß die Schuler aus der untersten Classe (En gravissime exasperatam contumeliam, qua nostros Gamalielis malitiole affecerunt) her für kommen; wir wollen sie lebendig fangen. Wenn sie einen Syllogismus bringen / und sprechen werden/ er sey in Bocardo so wollen wir ihnen eins an ein Ohr geben/und sprechen/ er sey in Bocallo. Apparet ex his, quantum præsidii hostes veritatis in hujusmodi scholastica dissertatione quæsiverint, & quam recte B. Rungius porro sub lit. D. scripserit: Iefusa proram & puppim satutis in scholastica disputatione & sophistis terminorum an bagibus positam habuerunt. Imitati hoc ipso veteres hereticos, de quibus Urbanus Papa in decretis 37. cap. omnem, ait, omnem vim inventorum suorum in dialectica disputatione ponunt heretici, qua Philosophorum sententiae definitur, non adstruēndi vim habens, sed deſtruēndi: sed non in dialectica complacuit Deo, Regnum enim Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis. Juxta literam F. B. Hunnium. Tanuerus, videus peri jugulum causæ, inserturbas, subinde clamitans, Nihil ad rem, nihil ad rem,

Do-

Dominus non observat formam: Nec prius continuit os impudens; quam illius petulantia a Principe Bavariae coerceretur. Eodem modo, postquam in Sess. XIII. B. Hunnius distinctionem quandam dederat, Tannerus interpellando dixit: *Hoc in me est in forma respondere? Hunnius regesit; distingvere est in forma respondere.* Taunerus ob locutus fuit: *Non omnis distinctio est distinctio in forma.* Hunnius respondet: *Num ad formam sit, tuum in modum disputare, id vero ex universa antiquitate. & praxi omnium Colloquiorum de religione, omniumque Conciliorum videre non possum. Quod attinet ad REM ipsam &c.* Et licet Tannerus atque Hungerus imo ipse Serenissimus Dux Maximilianus responsionem ad formam expetierint, tamen nil aliud tandem quam vera quedam & ex natura rei desumpta distinctio ad argumentum adversarii applicabatur. Sicuti quoque in Sessione XIV. ad argumentum Gretserianum: *Ille est index absolutus omnium controversiarum, qui jam pro praesenti statu, quando additur, ultimam & absolutam sententiam clare & distincte fert in controversia. Sed Ecclesia id facit. E. Ecclesia est absolutus Index omnium controversiarum.* B. Hunnius hec reprouvit; *Possim respondere, esse Syllogismum in secunda figura affirmativum: & preinde formam esse virtuosam. Quia vero non potissimum agitur de formalitatibus, sed quia RES nobis cura esse debent, hinc nego Minorem.* Perlegat modo aliquis cum cura colloquium hoc Ratisbonense, & videbit, quod Collucutores promiscue aut per Euthymemata & per Syllogismos conditionales conculserint, aut ad res ipsas negando, distinguendo, limitando & alio quodam modo res respiciente responsa sua directerint, adeoque nostrum respondendi modum confirmarint, licet saepissime adversarii a rebus ad mera verba discursibus suis de forma Syllogistica institutis prolapsi fuerint, nostris tamen vestigia istorum nunquam prementibus.

### §.XXII.

Patebit illud e Διαγενή ista, ad quam in praecedenti § provocavi. Haud grave erit Lectori benevolo, ad maiorem illustrationē & exornationem eorum, quæ dicta sunt, sequentia notatu dignissima verba ex ea utpote rariori scripto hoc transferre: *In rebus certe hostes veritatis nibil obtinuisse, neminem sana mente pruditum, & cum judicio*

hac ponderantem, affirmaturum esse arbitror. Verum quia multa in ipso colloquio mentio facta est forme, adversariis subinde querit antibus nostris non disputare in forma, primquam ad ultimam relationis partem accedo, quasi corollarii loco aliquid de forma disputationum mibi dicendum. Hoc enim pro certo affirmare possum, sepius sine adversario postulatum, ut nostri in forma responderent: Ideo faciebant ut suis persuaderent a nostris non observari legitimam disputationi formam, neve ad res ipsas, quas solide discussas animadvertebant, respondere cogerentur; utque nostros isto questi Gorgonio capite objecto, perturbarent. Quod igitur ad formam, qua nostri usi sunt, attinet, bona fide eam vobis explicabo. Primo argumenta a nostris allata inclusa fuerunt forma Syllogismi Categorici vel Hypothetici, aut inductioni: Id testabitur Protocollum. Secundo, solutiones ab adversariis date, sunt a nostris confutatae vel ex textu Scripturae vel monstratae evidenter ratione diversitatis, & falsitatis. Tertio prolate questione ali qua, utili, inter nos & Pontificios controversa, nostri Theologi eam paulo pluribus explicabant. Quarto ad argumenta adversiorum responderunt nostri, vel negando alteruram premissarum, vel distinguendo terminos propositionum, monstrando fallacias. Hic iterum intrepidamente ad Protocollum provoco, & ad omnes, qui toti Disputationi interfuerunt. Hac igitur forma nostri in disputatione usi sunt quam consuetudini scholarum & præceptionibus logicis conformem esse certum est: Vici sim quamnam Jesuita forma usi sunt, vere & aperce explicabo, Primo argumenta etiam ipsis proposuerunt forma syllogistica. Secundo, solutiones reales ad nostra argumenta quales dederint, ex primo actu Colloquii perspicuum est. Neque de illis nunc loquor, sed de forma tantum. Propositio a nostris argumento, illi plerumq; respondebant, Nego consequiam, Nulla addita ratione, qua monstrari solet, quare consequientia negetur, Id in scholis insolitum & per se absurdum est. Tertio, si non patet ratio elabendi, familiare erat & ipsis tergiversari, & sugillare modo hoc modo illud: Imprimis vero animadvirientes argumentum aliquod solide & recte quoad realia solutum esse; illi quasi in schola sibi cum pueris res esset, eandem solutionem perebant sibi dari in forma, ut nimis animos auditorum abducere a consideratione rerum, & nostros traducerent apud imperitos, quasi vera differendi methodo uti nescirent. Hinc toties iterata illa verba sine omni planeratione: Responde informa. Nihil ad formam, Nihil ad rem: DD. non observat formam: clare vident omnes, quod

quod hic Doctor non posse respondere ad formam: Videte omnes Domini auditores; hic tantus Doctor non potest respondere in forma: quia se per timorem Dei, responde in forma: Docebo vos formam sicut est; Obtestor te per judicium DEI, ut respondeas in forma: Docebo vos Dialeticam, si vultis aliquid a me discere. Tu D. Doctor te ipsum infamas, quod non observas formam: si formam & verum disputandi modum observares, salvus esse ipse non possis. Hec & multo plura formalia fuerunt Tannenverba, pleraque passim in Protocollo consignata. Haud dubie verbum aliqui nunc secum cogitant: Quae (malum) est ista forma Jesuitica? Monstrabo eam ipsius adversariis verbis ex sessionis quarta Protocollo descripsi: (Legatur ibid. p. 77. l.) Habetis exemplum formale iurice quam non, ad explicandam rem, sed ad involvendum Disputantem esse accommodatam, nemo non agnoscat. Hac forma fateor nostros usos nunquam fuisse negare, eam in Colloquia Christi cum antagonista, nego in Apostolorum scriptis, neque in Conciliorum actis, neque in Patrum monumentis, neque in Colloquiis autoritate, Imperatoris Caroli quinti sepius in Germania habitis unquam fuisse usurpatam video. Neque erat consultum, pari referre & proposita argumenta scholastica secundum regulas Topicas vel apodicticas examinare: quod tanquam ad pulverem scholasticum spectans, suo loco nullo modo vituperatur. Sed in isto principum consilio & confictu gravissimo, concernente principium fundamentum veritatis Christianae, neque necessaria, neque honesta, neque utile erat, scholasticam ejusmodi contentionem de forma logica instituere: Alio qui non fuissent defutari ex nostris, qui insolentiam ferocientis istius Elku, Deo juvante, solide hac in parte potuerint retundere.

### §. XXIII.

Totum hunc licet prolixioribus verbis conceptum discursum referre placuit, ut eo facilius reliquas quoque objectiones pro necessitate ad formam respondendi afferri solitas, solvere queamus. Ex iis adhuc unaq; adducere lubet, quod scilicet haec respondendi methodo per condescensum veritatis hostes tanquam e proprio armamentario devincere possumus. Et statim (paucis ut me expediam) regero: (a) Propterea non statim haec methodus esset necessaria, sed tantum utilis. Verum (c) haec quoque utilitas fat parva erit, si observaverimus, arma haec non esse ita compara-ta, ut ipsis adversarium nostrum convincere atque prosternere valeamus. Quando vitium in forma ei monstratum est, quid rigidus ad versarius faciet? Sane ideo non tacebit, sed aut vitium in forma, ipsi ostensum excusare imo defendere conabitur, aut facil-

facillime reductione & vel solorum vocum mutatione quadam adhibita aliam argumento formam induet. Provoco hic iterum ad D. Gretserum, qui in Colloq. Ratisb. Sess. XIV. §. ab init. nullatenus filiat, licet B. Hunnius ei vitium in forma aperte commisum objecerit. Ita enim responderet: *Possim quidem ostendere, cum Syllogismum non esse vitiosum, sed quia res placent, ad eas pro-gredior &c.* Certe si hic B. Hunnius vitium in forma pluribus verbis Gretsero exprobrasset, sine dubio variis modis Gretserus illud excusasset & sic disputantes a rebus ad verba pervenissent. Imo si tandem de vitio illo Logico fuissest convictus, num propterea adversarius fuissest devictus? Minime. Nihilominus tandem ad rem ipsam rursus progressum instituisset. Et annon satius fuissest, interea temporis errore in realibus demonstrato, plenam victoriā, aut saltem internam convictionem ab adversario reportasse?

#### §. XXII.

Sed cum temporis atque charta angustia mihi necessitatem finiendi imponat, hinc, ne quoque prolixitas mea Lectori iradiū aferat, pedem hic figo. Epilogi tamen loco licet nihil, ad ea ablegare quæ Clariss. Weissius doctrina sua Logic. Lib. II. Cap. IX. § VI. accutate observarit. Postquam annotaverit, non debere necessario ad Sophismara removenda speciales regulas suppeditari, siquidem omnino cuncta juxta communes Regulas Syllogisticas ad formam & materiam speculantes rite examinari possint, ( uti & illis secundum nostrum respondendi modum plane & solide satisfacere possumus ) Inter alia argutam aliquam & aculeatam Responsione ad pungens quoddam Sophisma afferat. Aliam ego disputant rationem a faventibus Dominis opponentibus expecto & quam lubentissime! policeor. Sicut, enim Excell. Dn. L. CHRISTIANUS LUDOVICI, Patronus, Hofjies atque Praeceptor noster multum honorandus, in Compendio suo Logico lectionibus publicis consecrato Recensisimorum quoque dialedicorum meletemata non plane omisit, ne tritum illud occineretur: Non nisi antiquata Logisticorum placita in eo traditae etiam nostram respondendendi methodum juxta Part. IIII Tract. I. § XI. in discursu privato sepius placidas tamen verbis attigit, ita & hujusmodi discursus publicos circa hanc materiam a cunctis Dnn. Oppositur expectamus atque expetimus. Solius autem summi Numinis auxilio cuncta adscivimus, hanc conclusionem iuste formare potero: Ergo  
SOLI DEO GLORIA.

---

#### COROLLARIA.

- I. Necessario ad formam Syllogismi semper est respondendum.
  - II. Pessimam formam hi Syllogismi ( Ananias mentitus est Deo Ananias mentitus est Spiritus S. est Deus: item: Qui satisfecit ira Dei, is nos perfecte redemit. At solus Christus satisfecit ira Dei, E. solus Christus nos perfecte redemit.) non accipient, per ea, quæ contra eos adduxit Cornel. Martin, in Analyt. Log. p. 107 & p. 132.
  - III. Juxta nova literaria Maris Baltici & septentrion. Mens. Decemb. 1698. p. 222. preparata Dn. M. Ehre Gott Daniel. Colbergii fata nobis eum ingenii fecundum denegarunt, quem meditatus fuerat sub hoc Titulo: Regnum teuebrum ex Aristotelica Philosophia ( innuit procul dubio Scholasticam ) & Theologia mixtura enatum.
- 

#### Irratum:

In §. III. init. hic desideratur verborum fluxus: *Vera itaque ET VULGARIS ET NOSTRI Syllogismi natura btevisimis ostensa, jam erit perspiciendum, quidnam per Syllogismi sui formam, &c?*

¶ ( o ) ¶





Ung VI 73

ULB Halle

004 108 515


3





B.I.G.

Farbkarte #13



14

AD  
SYLLOGISMUM  
IN  
**FORMA RESPON-**  
**DENDI NECESSITAS**

Indultu benevolo  
*INCLYTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ*  
In Academia Lipsiensi  
d. XX. Febr. Anno M, D C C V I.  
*ad examen revocata*

PRÆSIDE  
**M. HERM. JOACHIMO**  
*Gahn*/

Grabov. Mecklenb. SS. Th. Cand,  
Et  
RESPONDENTE  
**PETRO ARNOLDO MERINGIO,**  
Tremonia Vestphalo.  
Philos. & SS. Theol. Cult.

*LIPSIAE,*  
Literis BRANDENBURGERIANIS.